



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 153. Variæ Pontificis Constitutiones circa Regulares.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII.  
A. C. 1616.

§. CLIII.

*Variae Pontificis Constitutiones circa  
Regulares.*

*Bullar.  
Magn. Con-  
stit. 94.  
Abregé de  
l'hist. Eccl.  
tom. 3.  
Bald. chron.  
moral.*

Inter anxias curas, quibus summus Pontifex Principes Catholicos inter se belligerantes ad concordiam revocare nitebatur, non infima erat Regularem disciplinam promovendi sollicitudo, qua animatus hoc anno Congregationem Anglicanam Virorum Apostolicorum, qui ex Ordine Sancti Benedicti in Anglia inter Catholicos versantur, confirmabat. Huic Congregationi insertum quoque erat Monasterium Duacenum Sancti Gregorii in Flandria, a Philippo Cavarello Abbate Vedastino fundatum, necnon Dolovartense Sancti Laurentii in Lotharingia, præter duas, ut vocant, *residentias* in Regno Galliarum sitas. Ceterum Monachi isti Angli, quorum primi ex Hispanicis Vallisoletanæ Congregationis Monasteriis in Belgium, & Lotharingiam transplantati fuere, ingenti cum laude, ac proventu Philosophiam & Theologiam profitentur, puerosque doctrinæ Christianæ præceptis, populumque Sacris sermonibus erudiunt, ceteraque munia ad proximi salutem conducentia obeunt. Pariter idem Pontifex edito diplo-

diplomate die vigesima nona Januarii Sæc. XVII.  
 statuit, quod omnia Congregationis A. C. 1616.  
 Monachorum Cælestinorum Ordinis  
 Sancti Benedicti Monasteria, quorum  
 redditus ad congruam duodecim Mona-  
 chorum sustentationem sufficiunt, ab  
 uno ex præfatis Monachis sub titulo  
 Abbatis, cetera vero a Prioribus gu-  
 bernentur: Insuper Papa novam Ci-  
 sterciensium Congregationem in Regnis  
 Hispaniæ erexit, ita tamen, ut ea per-  
 petuo obedientiæ Abbatis Generalis,  
 & Capituli Generalis Cistercii subja-  
 ceat. Hanc in rem Paulus V. die de-  
 cima nona Aprilis Pontificium promul-  
 gabat diploma: alio autem die unde-  
 cima ejusdem Mensis edito Congrega-  
 tionem Clericorum Doctrinæ Christia-  
 næ in Civitate Avenionensi institutam  
 Congregationi Clericorum Somaschæ  
 sive Sancti Majoli uniebat: ceterum  
 hæc unico haud diu tenuit, cum So-  
 masci sese novis hisce opponerent So-  
 ciis, qui ad erudiendam juventutem  
 voti Religione sese obstringere medita-  
 bantur: unde non modo Ludovicus  
 XIII. Franciæ Rex suum unionis diplo-  
 ma revocabat, sed etiam Innocentius X.  
 die trigesima Julii anno Salutis nostræ  
 millesimo sexcentesimo quadagesimo  
 septimo concessum unionis Breve nul-  
 lum esse declarabat, ac Doctrinæ Chri-  
 stia-

Sæc. XVII. A. C. 1616. flianæ Congregationem ad pristinum statum reducens, eam sub Generale seu potius Provinciale natione Gallo ad Laicorum conditionem revocabat. Die autem vigesima septima Augusti idem Pontifex inhibuit, ne Monachi Ordinis S. Benedicti Congregationis Cælestinorum dignitates, gradus & munia, sæcularium favore, illicitisque viis procurarent, pluribus in eos, eorumque fautores pœnis interminatis. Denique hoc anno summus Pontifex Academiam Paderbornensem, quam Theodoricus Episcopus erexerat, Apostolica auctoritate firmabat.

## §. CLIV.

*Alicæ Constitutiones in Sacris Congregationibus jussu Pontificis editæ.*

Præterea variæ hoc anno Constitutiones, ac decisiones circa Ecclesiæ ritus & disciplinam a diversarum Congregationum Consultoribus auctoritate Pontificis prodire, & quidem die vigesima secunda Januarii Congregatio Episcoporum declarabat, quod Regulares confessiones ægrotorum in eorum domibus sine licentia Parochi excipere valeant, licet illum monere debeant de confessione facta. Die autem trigesima